

Har. v. nym.

a. 37

Jahresbericht
des
Königlichen Katholischen Gymnasiums

zu

Gross-Glogau

für das Schuljahr 18⁵⁸/₅₉

womit

zu der am 16ten August zu haltenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

und

der auf den 16ten August festgesetzten

Schlussfeierlichkeit

alle Gönner und Freunde der Anstalt

ehrerbietigst einladet

Dr. Eduard Wentzel,

Director des Gymnasiums, Ritter des Rothen Adler-Ordens IV. Klasse.


I n h a l t:

- 1) De curialibus Romanis, qui fuerint regum tempore, commentationis part. II. Vom Gymnasiallehrer Dr. A. Franke.
- 2) Schulnachrichten vom Director.

Glogau.

Gedruckt bei Carl Flemming.

1859.





Rr. Lrus
Spr 42.

De
curialibus Romanis, qui fuerint regum tempore,
commentationis part. II.

Scriptisit

Dr. A. Franke.



De curialibus Romanis, qui fuerint regum tempore, commentationis part. II.

Respublica Romana usque ad Servii Tullii aetatem in curiis tanquam in fundamento nitebatur ¹⁾. Reges non ex arbitrio, sed ex curiarum auctoritate rebus publicis praecerant eaque modo, quae civibus placebant, perficendi utebantur potestate. Nec senatus, cuius ortus iam in urbis primordia cadit, additus erat regibus, ut iis patrocigaretur, sed ut populi iura ab illorum arbitrio defenderet. Cum vero religio Romana cum administratione ita cohaeserit, ut separari altera ab altera non posset, haud difficile est ad colligendum sacra curionia regum tempore cum republica arcte fuisse coniuncta, id quod Varro egregie confirmat, ex cuius sententia Romuli aetate praeter sacerdotes curiales nemo publicis sacerdotiis fungebatur ²⁾. Hoc si pro certo ponimus, ante Servium neque auguratum neque pontificatum, ex quibus posteriore tempore administratio pendebat, curionatui publica auctoritate praestitisse apparet. Quamobrem eorum opinioni non est assentiendum, qui curiis res sacras tanquam proprias vindicant illasque demum propter rerum divinarum et administrationis breve confinium ad hanc accessisse arbitrantur ³⁾. Ex arcta vero sacrorum cum republica coniunctione sequitur, ut curialibus munerum publicorum duo fuerint genera, quorum unum ad administrationem, alterum ad res divinas spectabat ⁴⁾.

Dionysius Halicarnassensis, ubi de apta civitatis instituendae ratione disserit ⁵⁾, munc-

1) Id iam ex eo manifestum est, quod scriptores veteres curiarum nomen a voce curae derivant, cum reipublicae curam per sententias partium gesserint. Cfr. Becker, Handbuch d. roem. Alterthum. II. 1, p. 31 seq.

2) Dionys. II, 21, οἱ τε κοῖται περὶ τῆς πόλεως ἴερα οὐκ ἐπισημαίνονται καὶ ἀρχαῖα τε καὶ φρασεῖς ἐξ ἡλικονία καὶ κοῖταιθρον ἐπὶ τῆς ἐκείνου ἀρχῆς λέγω δὲ ὁ Τερτυλλίος Οὐαρόδωρον ἐν ἀρχαιολογίᾳ ἰσχυραίνει. Cfr. Ambrosch, de sacerd. curial. p. 7 seq. et 29, ubi haec leguntur: „considerandum est atque animo tenendum, ex sententia Varronis aetate Romulea, exceptis sacerdotibus sexaginta curialibus, nullos fuisse sacerdotes publicos. Ergo tunc nondum erant pontifices“ . . .

3) Cfr. Schulze, Von den Volksvers. der Roemer p. 1.

4) Cfr. comment. de curial. Rom. part. I. p. 13 adn. 1.

5) II, 14; τῶ δὲ δημοτικῶ πλεθρῶν (hac voce non plebeios, sed patricios significari, in comment. part. I. exposui p. 19 — 25) τρία ταῦτα ἐπέτρεψεν, ἀρχιπρωτεύειν τε καὶ νόμον ἐπιτιθεῖν καὶ περὶ πόλεως διαγιγνώσκειν κ. τ. λ.

ribus regum senatusque commemoratis, Romulum magistratus creandos, leges confirmandas ac sententiam de bello ferendam populo tradidisse adiungit, ita tamen, ut haec omnia senatus demum consensu rata fierent ⁶⁾. Ac primum est monendum, quae de populo dicantur, ea pertinere ad curias, quibus universus populus sit comprehensus, in his vero praeter patricios fuisse neminem. ⁷⁾ Neque Dionysius ab illa sententia discedit: quin etiam paulo maiorem populi iuribus ambitum attribuit in lib. IV. c. 20 ⁸⁾, ubi de discrimine inter Servii instituta et administrationem antiquioris temporis intercedente loquitur. Cum vero opinioni, quam protulit, nec refragetur et consulto eam uberiusque repetat, haudquaquam ambigi potest, quin ipse de probabilitate eius sibi persuaserit. Erravit tamen, quamvis sententiam auctoris sui ad verbum reddiderit, sed ita ut errorem facile detegamus, modo ne illius morem sequentes qui centuriarum participes fuerint, eos cum curialibus confundamus. Nam reipublicae Romanae explicatio progressui naturali erat accommodata nec tam mutatione institutorum, quam partium, ex quibus populus deinceps constabat, continebatur. Ad patricios enim, quorum primum propria erat administratio, Servio demum regnante accesserunt plebei, proletariis iisque exceptis, qui capite censi dicebantur: postea vero et hi audacius ad rempublicam aspirantes haud diutius a populi iuribus excludebantur. Quae res cum et Dionysium, qui Servii institutis plebem non esse progressam, sed repressam tradit ⁹⁾ et ipsos scriptores Ro-

6) Nimirum in hoc additamento scriptor erravit, cuius rei causa in falsa vocis patrum interpretatione est quaerenda. Cf. comm. part. I. p. 30.

7) Ne quis, cum in prima commentatione de plebeis modo a curiis remotis exposuerim, clientes propter coniunctionem cum patronis nonnisi sacrorum communionem sancitam in curiis fuisse putet, non est alienum a proposito, pauca hoc loco de iis adiungere. Ex nexu, qui fuit antiquissimo tempore sacris curioniis cum civitate, licet colligere, clientibus non ad publica curiarum sacra, sed ad privata tantum singulis singularum gentium adeundi fuisse copiam, nisi eos quoque in comitiis curiatis suffragatos esse statuimus (cf. Huschke, die Verf. des Servius Tullius p. 84). Quod quamvis Livii loco (II, 56) „quae (sc. Voleronis rogatio) patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi quos vellent, tribunos auferret“ fulciatur, quandoquidem quae Dionysius (VI, 89; cf. IX, 41) et Cicero (p. Corn. ap. Asc., p. 76, Or; cf. Gerlach, Histor. Stud. I. p. 386 ann.) de creatione primorum tribunorum tradiderunt, cum illo comparamus, tamen vehementer dubito, num his ipsis Dionysii et Ciceronis testimoniis fides possit haberi. Nam plebeios a comitiis curiatis exclusos in his tribunos, qui ipsorum patrocinium susciperent, creari passos esse, vix erit qui arbitretur. Quare quidam utrumque scriptorem opinantur commiscuisse tribunorum creationem cum actione illam probandi propria comitorum curiatorum (cf. Niebuhr, Roem. Gesch. I. p. 648). Sed ne id quidem ferri posse docet Beckerus (l. I. II, 2, p. 255 ann. 637) cum, si quis ad Gellium (XIII, 15, „minoribus creatis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege“) provocet, illo, de quo agitur, tempore tribunos nondum habitos esse magistratus satis constat. Quomobrem Beckerus videtur assentiendum esse, qui (l. I. p. 256—260) usque ad Voleronis tribunatum creatos esse tribunos plebis in comitiis centuriatis calatis exponit, quamvis Gellii locum (XIV, 7), in quo solo eius generis comitia memorantur, suspectum habeam. Cf. Walter, Gesch. des roem. Rechts p. 23. ann. 64; p. 51. ann. 29; Goettling, Gesch. d. roem. Staatsverf. p. 155.

8) εἴρηται δὲ μοι καὶ πρότερον, ὅτι ἰσθῶν πραγμάτων ὁ δῆμος ἐκ τῶν παλαιῶν νόμων κηρὸς ἐν τῶν μεγίστων τε καὶ ἀναγκασιότατων ἀρχῶν ἀποδοῦναι τὰς τε κατὰ τοὺς καὶ τὰς ἐπὶ στρατοπέδου καὶ νόμους τοὺς μετ' ἐπικυρώσασιν, τοὺς δὲ ἀγέλλων καὶ πρὸς πολέμου οὐκ ὀκνητῶν τε καὶ καταλυμένων διαγρῶναι.

9) Apertum est eum comitia curiata ad similitudinem tributorum sibi finxisse: quae opinio repugnat ipsius verbis, quae legitur in lib. VIII, 5; Ῥωμαίοις τὸ μὲν αἰ ἀρχῆς πολίτευμα ἦν μικτὸν ἐκ τε βασιλείας καὶ ἀριστοκρατίας.

manos ¹⁰⁾ fugerit, iure quod ille in lib. II. c. 14 exponit, ad curias transfertur et iam in universum quae fuerint munera curialium ad rempublicam spectantia, elucere videtur ¹¹⁾). Ut vero omni civitatis Romanae tempore res administrandae e comitiis pendebant, sic iam regum aetate comitia curiata toti administrationi connexa ad eam plurimum valuerunt, quapropter in iis fieri non potuit, quin curiales suffragia ferendo muneribus publicis fungerentur ¹²⁾). Itaque cum omnia, de quibus tum cum populo agebatur, comitiis curiatis fuerint assignata ¹³⁾, eorum quoque, quatenus res postulabit, nobis in illustranda curialium publica potestate ratio hic illic erit habenda. Sed iam de singulis videamus.

Primum quidem curiis magistratus creandi ius fuit. Quoniam vero rex utpote civitati et exercitui praefectus summi magistratus dignitatem obtinebat, creari a populo cum oportuit. Dionysius hoc regis creandi munus inde ab urbis primordiis populo vindicat et iam Romulum auspiciis captis et comitiis institutis eo modo creatum esse statuit ¹⁴⁾). Licet Dionysii fidem addubitemus, nisi ubi ipse disertis verbis se in Varronis auctoritate niti affirmat ¹⁵⁾, tamen, si Livii ¹⁶⁾ et Ciceronis ¹⁷⁾ testimonia cum illius verbis conferemus, fortasse minus difficile ad eius sententiam adducemur. Livius enim, ubi de primo interregno agit, populum id tanquam multiplicatam servitutem graviter tulisse et exspectandum fuisse narrat, ut in posterum regem tantum et ab ipso creatum pateretur. Ex qua populi indignatione mota sane singulari interregni constituendi modo sequitur, ut senatus iura illius minime tueri, sed violare sit visus Romanique imperium curiis deberi sibi persuaserint. Neque si Romulus, non quemadmodum qui sequebantur reges, a populo regnare iussus i. e. creatus esset, quemquam in senatorum conatu imperandi offensurum fuisse iure colligi potest. Iam vero est respiciendum, quam fuerit tenax consuetudinis indoles Romanorum nunquam ab illa nisi gravissimam ob causam discedens et quid erat, cur senatus a populo

10) De Livio inprimis id affirmari potest: cf. I, 35; ib. 43.

11) Haud facile ea instituta adumbrantur, quae postero tempore primariae suae indolis vix speciem quandam reliquerunt, id quod in curialium muneribus publicis evenit. Nam etsi curiarum aedificia usque ad extremum liberae civitatis tempus durabant atque sacrificabatur in iis, horum tamen cum illis coniunctio iam Servii Tullii institutis labefactata progrediente aetate prorsus est soluta: unde sacra curionia patet auctoritate debilitata priorem non iam exhibuisse formam. Itaque praeter monumenta exilia, si qua omnino ex novissimorum regum tempore supererant, scriptoribus nihil erat auxilii, ex quo curiarum in administrationem potestatis haud fucata descriptionem depremerent. Accurate igitur in eorum testimonia inquiramus simulque explicationem reipublicae ac transitum quasi naturalem ab administrationis forma alia ad aliam respiciamus necesse erit, si quae ad probabilitatem accedant, invenire volumus.

12) Cf. Dionys. II, 14; *ἔφερε δὲ τὴν φέρουσι οὐκ ἕνα τῶν ὁ δῆμος, ἀλλὰ καὶ τὰς φερέας οὐγκυλομένους· οἱ δὲ τὰς πλείους δοῦναι φερέας, ταῦτο ἐπὶ τὴν βουλήν ἀνεφέρετο.*

13) De modo instituendi ea ac suffragandi cf. Lael. Fel. ap. Gell. XV, 27; Dionys. IV, 12; ib. 89; al. Liv. I, 43, „non enim (ut a Romulo traditum ceteri servaverant reges) viritum suffragium eadem vi eodemque iure promiscue omnibus datum est“. Schulze, I. I.; Becker C. I. II, I, p. 374;

14) II, 6; *ὡςτε δ' οὐν ὁ Ῥωμύλιος ἐπιθεὶς τὰ παρὰ τοῦ δαιμονίου βέλαια προσέλαβε, οὐγκυλοῦς τὸν δῆμον αἰετίζων καὶ τὰ μαντεῖα δηλώους βασιλεὺς ἀποδείκνυμι πρὸς αὐτῶν.*

15) Qua diligentia etiam tum, cum se dicit sequi Varronem, ea, quae proponit, examinare debeamus, docet Ambroschius I. I. p. 9.

16) I, 17; cf. Cic. de rep. II, 12;

17) De rep. II, 21.

reprehenderetur, eo utique tempore, quo singulorum ordinum iura nondum certis finibus designata esse poterant? Cum Livio, qui sententiam magis divinandam quam dilucide expressam nobis reliquit, Ciceronis verba conveniunt haec „Servius Tullius primus iniussu populi regnavisse traditur“, id quod nullam fuisse dubitationem de Romulo curiarum suffragiis creato argumentum suppeditat. Ad regem vero, qui illum secutus est, quod attinet, idem populus creandi munere fungebatur. Itaque cum abrogaretur interregnum, interrex ¹⁸⁾ „quod bonum“ inquit „faustum felixque sit, Quirites, regem create, ita patribus visum est. Patres deinde, si dignum, qui secundus ab Romulo numeretur, creatis, auctores fient“. ¹⁹⁾ His verbis cum suspicari liceat comprehendi formulam vetustam eamque Livium debere monumento ad eam aetatem pertinenti, qua prima omnino Romanorum documenta litteraria oriebantur, nihil certe nos impedit, quominus in iis acquiescamus. ²⁰⁾ Neque tamen Numae solum, verum etiam qui huic succedebant, regum creatio populi suffragiis efficiebatur ²¹⁾: quapropter Servius usu regnum possidens, cum iniussu populi regnare diceretur, hunc de se ipse consuluit magnoque consensu rex est declaratus. ²²⁾ Reges autem creabantur in comitiis curiatis, ut quamquam sponte id intelligitur, Dionysius, Cicero, Livius expressis verbis testantur. ²³⁾

Hac vero actione neque imperium neque auspicandi ius illos accepisse, satis constat ex eo, quod iterum comitia instituebantur, quibus populus de suo demum iure decederet simulque ea confirmaret, quae ipsi placuissent. Mirationem id sane movere potest, quod idem populus de actione sua probanda aut reiicienda in suffragia ibat. Quodsi liberae civitatis tempore factum videmus, ut comitia centuriata curiarum tantum consensu rata declararentur, huius rei quae fuerit causa, nos haudquaquam fugiet. ²⁴⁾ In iis enim cum plebei pro censu suffragiis uterentur, erat verendum, ne quid civitati minus salutare ageretur,

18) Comititia regi creando interrege praeside instituebantur. Nam ut rege mortuo summa potestas ad populum transiit, is ad interregem prodendum convocabatur nec obstat quod Livius in lib. I. c. 17. tradit, cum sit verisimile, tum nihilum de modo interregis prodendi lege fuisse sancitum et postea demum patricios hoc sibi ius ordinis sui proprium vindicasse. Cf. Becker I. c. II, 1 p. 294 seq. Nec primo interregi, sed ei, qui secundo loco vel tertio proditus erat, comitia habere licuit. Cf. Asc. in Milon. p. 43 Or.

19) Liv. I, 17; cf. Becker I. I. p. 312 ann. 624; Goettling. I. I. p. 512 seq.

20) Cf. Becker I. I. p. 349.

21) Liv. I, 22. „Tullum Hostilium . . . regem populus iussit“; ib. 32; „Ancum Marcium regem populus creavit“; ib. 35; „haec cum (Tarquinius Priscum) haud falsa memorantem ingenti consensu populus Romanus regnare iussit“; Cic. de rep. II, 17; „Tullum Hostilium populus . . . comitiis curiatis creavit“; ib. 18; „rex a populo est Ancus Marcius constitutus“; ib. 20; „cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarquinius.“ Dionys. III, 35; *μετα . . . την υπο των φυλων γενησομενην ψηφισθησαν τους θεους εδει την βασιλειαν . . . επιθεωρησαι κ. τ. λ.* Tribus tantum hoc loco afferuntur, id quod nullius momenti esse videtur, cum duplici tribuum genere nondum exstante de tribubus localibus Servii nequeat cogitari. Ib. III, 46; *οι δε (μεσοβασιλεις) συναγαγοντες εις αρχαιοστας το πληθος αιρουνται βασιλευς Δευκιον Ταρκυιον κ. τ. λ.*

22) De Ciceronis loco, ubi de Servio agitur, modo diximus, haec tamen scriptoris adiungenda sunt verba „non commisit se patribus, sed Tarquinio sepulto populum de se ipse consuluit iussusque regnare“ et seq. Cf. Liv. I, 46; Dionys. IV, 10, 12; de Tarquinio Superbo cf. Liv. I, 49; Dionys. IV, 41.

23) De regis inauguratione creationem secuta vid. Plut. Num. 7; Liv. I, 18.

24) Cic. de leg. agr. II, 11. „Maiores de singulis magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt . . . ut esset reprehendendi potestas“; cf. de rep. II, 32; p. Planç. 3.

quare curialium auctoritate non accedente, irrita illa esse dicebantur. Regum tempore res aliter se habuit. Patricii creabant, iidem creationem confirmabant. ²⁵⁾ Unde videtur Livii et Dionysii error ortus esse, qui in locis supra allatis confirmandi munus ad senatum transferunt. ²⁶⁾ At si consideramus, qua severitate inde ab urbis primordiis omnia Romanorum fuerint instituta quantamque in iis retinendis posuerint diligentiam, de necessitate alterius conventus haud diutius dubii haerebimus. Accedebat res maximi momenti. Propter arctam enim auspicioꝝ cum republica coniunctionem ius illorum regi traderetur necesse fuit: quo si carebat, ne militarem quidem rem ei attingere licuit. Quamobrem a Livio ²⁷⁾ comitia curiata rem militarem continere et a Cicerone ²⁸⁾ auspicioꝝ causa remansisse traduntur. Notum autem est, auspicia, quibus nihil gravius unquam iudicabatur ²⁹⁾, Romanis omnium rerum fuisse cardinem ³⁰⁾. Nam si res publicae seriem eiusmodi effecerunt, ut alia ex alia pendere omnesque inter se cohaerere viderentur, huius nexus auspiciandi ius quasi medium obtinuit locum, a quo non modo privatae publicaeque actiones profectae, verum etiam ad quod relatae sunt. ³¹⁾ Id potissimum ex usu posterioris temporis apparet, quo ceteris institutis dudum labefactatis auspicia tamen ad speciem et vetustatis usurpationem acriter retinebantur. ³²⁾ Itaque quoniam de re gravissima iudicium creationi annexum erat, vix potuit fieri, ut utraque actio in idem incideret tempus. Creatione vero regibus potestatem tantum concessam eosque concessa subinde esse usos, verba Ciceronis docent, qui reges

25) Quominus bis iisdem in comitiis de magistratuꝝ creatione, quandoquidem res postulabat, iudicaretur, nihil obstitisse, sequentis quoque temporis consuetudo docet, nam censoribus, qui comitiis centuriatis creabantur, cum sine imperio essent, legem centuriatam, non curiatam latam esse scimus. Cic. de leg. agr. II, 11. „cum centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus, tum iterum de eisdem iudicabatur.“ De necessitate huius duplicis actionis, quantum ad censores attinet, sententiae in diversas abeunt partes. Cf. Niebuhr, Roem. Gesch. II, p. 416; Goettling, l. l. p. 330; Becker, l. l. II, p. 196.

26) Liv. I, 17; Dionys. II, 14;

27) V, 52; „comitia curiata, quae rem militarem continent“.

28) de leg. agr. II, 12. „nunc qui prima illa comitia tenetis, centuriata et tributa, curiata tantum auspicioꝝ causa remanserunt.“

29) Liv. VI, 41.

30) Cic. de legg. II, 12. „maximum et praestantissimum in republica ius est augurum et cum auctoritate coniunctum. Neque vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitatus et concilia vel instituta dimittere vel habita rescindere? quid gravius quam rem susceptam dirimi, si unus augur „alio die“ dixerit? quid magnificentius quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius dare aut non dare?“

31) Vid. inprimis Val. Max. II, 1, 1. „apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nil gerebatur, nisi auspicio prius sumto“ et Cic. de div. I, 16, 28.

32) Extremo liberae civitatis tempore tres augures tantum cum triginta fictoribus ad tribus veteres curiasque repraesentandas convenerunt (Cic. de leg. agr. I, 12). Neque cuiusquam multum interfuit, num is conventus re vera institueretur, necne, quin etiam a. u. 700. qui consulatum petebant, Cn. Domitius Calvinus et C. Memmius tres augures pecunia corrumpere sunt conati, ut falso testarentur, de ipsorum imperio legem curiatam rite esse latam. Cf. Cic. ad Att. IV, 18; Marquardt, Fortsetz. von Becker's roem. Alterth. II, 3, p. 190.

ipsos de imperio suo legem curiatam ad populum tulisse narrat. ³³) Illud autem, quod rex denuo populum curiatim consuluit, argumento est, eum petendo a curialibus, ut quidquid ipsis publici iuris esset, ad se transferrent neve regiae obtrectarent dignitati, sibi tradendum curasse imperium. Hoc igitur solemniter conventu rex primum officiis suis fungebatur, populus vero palam consulendus erat de imperio, ne oblivisceretur ille, a quo hoc accepisset, simulque curiae tum regem agnovisse videntur.

Quodsi respicimus, mox intelligemus, legis curiatae vim non differre a patrum auctoritate vel a significato formulae „patres auctores fiunt.“ Si quid discriminis intercedit, non regum, sed liberae demum civitatis tempore in eo inest, quod patres quidem ante initum suffragium in incertum comitiorum eventum auctores fiunt, et creatione habita lex curiata de imperio fertur ³⁴). Nec patres auctores eodem sensu usurpantur ac senatus auctoritas. Auctor enim et is nominatur, qui se probare aliquid fatetur ³⁵) neque alio modo patricios auctores appellatos esse Beckerus recte statuit. ³⁶) Quamobrem interpretatione locorum, qui leguntur apud Ciceronem ³⁷) et Gellium ³⁸), ubi de arrogatione agitur iique, qui in alienam potestatem se tradunt, ipsi eius rei auctores fieri dicuntur, nulla nobis subnascitur difficultas, modo ne quod hac auctoritate efficiebatur, cum patriciae auctoritatis eventu comparemus. Regem enim pariter atque eum, qui adoptavit, ius vitae necisque in populum comitiorum auctoritate esse nactum difficile erit ad comprobandum. Certe id a natura reipublicae Romanae abhorret et unum modo exemplum ei quidem sententiae haudquam conveniens notum est, de quo, cum disquisitionem de iudiciis publicis aggrediemur, paulo accuratius disputabimus. Contentio igitur iurum regis, quae patrum auctoritate tribuebantur, cum iure arrogatione concessa institui vix potest ac similitudo utriusque actionis non tam eventu quam verbis confinetur. ³⁹)

33) de rep. II, 13; „ipse (Numa) de suo imperio curiatam legem tulit“; ib. 17: „(Tullus Hostilius) de imperio suo . . . populum consuluit curiatim“; ib. 18: „(Ancus Marcius) de imperio suo legem curiatam tulit“; ib. 20; „(Tarquinius Priscus) de suo imperio legem curiatam tulit“; ib. 21. „(Servius Tullius) legem de imperio suo curiatam tulit.“

34) Cf. Sigonii et Grucchii hac de re exortum certamen (de comit. pop. Rom. in Graevii antiq. Rom. thes. vol: I.) et praeter commentationes virorum doctorum a Beckero (l. I. II, 1 p: 320) allatas, Lange, Roem. Alterth. I. p. 231 seq. Schwegler, Roem. Gesch. II, 2, p. 658 seq.

35) Paull. Dig. XXVI, 8, 3. „etiamsi non interrogatus tutor auctor fiat, valet auctoritas eius, cum se probare dicit id, quod agitur: hoc est enim auctorem fieri.“ (cf. Forcell. Lex. Lat. s. v.)

36) l. I. p. 316 seq.

37) p. dom. 29. „credo enim, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctore esse, ut in te P. Fonteius vitae necisque potestatem haberet, ut in filio.“

38) V, 19; „Arrogantur ii, qui cum sui iuris sint, in alienam sese potestatem tradunt eiusque rei ipsi auctores fiunt.“

39) Cf. Lange l. I. p. 231; Mommsen, Roem. Gesch. I, p. 53. Ex iure vitae necisque dictaturae annexo, si quis potestatem regiam eo magistratu repraesentatam videt, regibus etiam ius, illud fuisse facile concludet. At hac re ne fallamur, cum ratio intercedens inter regem et dictatorem plane fuerit diversa. Regum enim tempore populus nondum ex partibus, quae contrariae inter se essent, constabat, receptis tamen plebeiis cum gravissima exardescerent certamina, efficaci opus erat remedio, quod metu ad tempus illas contineret atque sedaret. Liv. III, 20; XXII, 8; cf. Becker l. I. II, 2, p. 150 seq. Ceterum facilius adducimur, ut de transitu potestatis regiae ad consules cogitemus. Cic. de legg. III, 3. „regio imperio duo sunt“. Cf. de rep. II, 32; Dionys. IV. 84; X, 34.

Quemadmodum autem curiae regem creabant, sic ad expellendum Tarquinium, „ut qui neque populi iussu neque auctoribus patribus regnaret“⁴⁰⁾ suffragiis utebantur. Id quod facile erat factu; populus enim cum cum neque iussisset neque lege curiata imperium tradidisset utpote vi regnantem in exilium agere non dubitavit.⁴¹⁾ Itaque iudicium de Tarquinio curiarum, non centuriarum erat, quae postea valere coeperunt et si quis de centuriis cogitarit, adeat Dionysii locum, ubi disertis verbis inter comitia curiata et centuriata distinguit, cum Brutum illis institutis sic inducat loquentem⁴²⁾, *βασιλείαν μὲν οὐκέτι καταστήσασθαι δοκεῖ, ἀρχοντας δὲ δύο καθ' ἕκαστον ἐνιαυτον ἀποδεικνύναι βασιλικὴν ἐξουσίαν ἔχοντας, οὓς ἂν ὑμεῖς ἐν ἀρχαιροεσίαις ἀποδείξῃτε, ψῆφρον ἐπιφέροντες κατὰ λόγους.*⁴³⁾

Iam est quaerendum, utrum senatores creandi potestas fuerit regi, an curiis. Eorum, qui hac de re scripserunt, sententiae multum inter se differunt, cum alii ius illud regi attribuant, alii vero contrariam amplectantur opinionem.⁴⁴⁾ Quare ante omnia in veterum scriptorum testimonia inquiramus et inprimis Dionysii sententiam de senatorum creatione examinemus necesse erit.

Ac primum quidem is in lib. II. c. 12, Romulum cum centum virorum senatum e patriciis esset constituturus, unum elegisse et singulas tribus ternos totidemque singulas curias creare iussisse narrat.⁴⁵⁾ Cum vero in notanda actione curialium verbum *προχειροῦσθαι*, regis contra *ἐπιλεγέσθαι* vel *προσγράφειν* usurpet, dubium non esse quis neget, quin ex scriptoris sententia alteri cum altero senatorum perfecerint creationem? Nec temere Dionysius hoc tradit iisque, quae proponit in lib. II, c. 47., confirmat.⁴⁶⁾ Nam Sabinis receptis Romulus et Tatius de senatu duplicando agentes centum viros curiarum suffragiis delectos pristino senatorum numero addidisse dicuntur. Ex eo autem, quod de hac senatorum lectione omnes fere, qui de rebus Romanis scripserint, convenire nec ulla in re nisi in illorum numero discrepantiam inter paucos quosdam exstare adjungit, Varronis eum in auctoritate niti licet coniecere, quin etiam omnis dubitatio removetur, siquidem ea, quae sequuntur, consideramus. In limine enim expositionis eodem in capite sequentis, ubi de

40) Liv. I, 49.

41) Cum senatui secundum Dionysii expositionem (IV, 84) placuisset, ut totum Tarquiniorum genus ex urbe expelleretur, curiales, quid hac de re sibi videretur, suffragiis declarare debebant, quapropter Brutus populum admonuit, ut si ratum esse vellet senatusconsultum, curiatim sententiam diceret, id quod extemplo factum est (*παοιαι τὴν φυγὴν τῶν τυράννων αἱ φράτραι κατεψηφίσαντο*).

42) I. I.

43) Pergit scriptor, *καίτοις, ἀπολόους τὴν ἐκκλησίαν, ἐκέλευσεν ἑκαστῶς ἕως ἐς τὸ πεδίον, ἐνθα συνέθις ἢ ἀντιοῖς ἀρχαιοροῦσθαι ἔχοντας τὰ σπλά ἐν τυχῆ.*

44) Cf. Becker I. I. II, 1, p. 340; Rubino, *Untersuch.* ueber roem. Verf. u. Gesch. I, p: 144 seq. Walter, I. I. I, p. 18 seq. Goetting I. I. p. 150; Niebuhr, I. I. p. 355 seq. Mercklin, *die Cooptation der Roemer* p. 26 seq.

45) οὗ δὲ Ῥωμύλος ἐπειδὴ τὰντα διέκοσμησε, βουλευτὰς εὐθὺς ἔγνω καταστήσασθαι, μεθ' ὧν πράττειν τὰ κοινὰ ἐμίλλεν, ἐκ τῶν πατρικίων ἀνδρας ἑκατὸν ἐπιλεξάμενος... τῶν δὲ φυλῶν ἑκάστη προσεταξε τρεῖς ἀνδρας ἐλεοσθαι... μετὰ δὲ τοὺς ἐνταῦς, ἑκάστη φράτρη πάλιν ἐκέλευσε τρεῖς πατρικίων ἐπιλέγειν... ἔπειτα τοῖς πρώτοις ἐνταῖς τοῖς ὑπὸ τῶν φυλῶν ἀποδείχθῆϊσι... οὓς αἱ φράτραι προχειροῦσαντο. Cf. *Comment.* p. I. p. 26.

46) ἢ ὧν ἑκατὸν ἀνδρας, οὓς αἱ φράτραι προχειροῦσαντο, τοῖς ἀρχαίοις βουλευταῖς προσεγραψαν. Cf. II, 57; αἱ κατεγραφεῖντες εἰς τὴν βουλὴν ὑπὸ Ῥωμύλου.

curiarum nominibus disserit, Varronem nominatim affert⁴⁷⁾, quem hac tantum ex parte ab aliis scriptoribus abhorrere fatetur. Unde est colligendum, Dionysium iam in antecedentibus Varronis vestigiis instituisse, certe si hunc uni alterive scriptori refragari perpexisset, verbo saltem dissensionem indicasset. Fortasse scriptor errasse videtur, praesertim si eum in monumento latino vocem „curiatim“ invenisse atque hanc, cum non esset interpretatus dictione „e curiis“ minus recte ad comitia retulisse statuimus. ⁴⁸⁾ At tum minime apparet, quid omnino sibi velit illud vocabulum. Nam extra curias eo tempore nullus erat populus, ex iis igitur senatores creari oportuit, ita ut eiusmodi additamentum prorsus esset supervacaneum, nisi forte scriptores evenire potuisse, ut ex plebe quoque civitatis nondum particeps illi legerentur, sibi persuadebant. Addendum est aliud argumentum. Celerum enim creationem attingens hos eadem ratione ac senatores curiarum suffragiis designatos esse testatur. ⁴⁹⁾

De Dionysii igitur sententia sicut de fonte, ex quo notitiam suam hausert, ambigi nequit: quaeritur tantum, num et quomodo aliorum scriptorum quae exstant eadem de re testimonia cum illa possint conciliari.

Quae Dio Cassius coram senatoribus Romulum loquentem facit, *ἐγὼ ἡμᾶς ὠπατεύεις ἐξέλεξαίην, οὐχ ἵνα ὑμεῖς ἐμοῦ ἀρχήτε, ἀλλ' ἵνα ἐγὼ ὑμῖν ἐπιταττοῖμι* ⁵⁰⁾ minorem repugnantiae speciem prae se ferunt, quam quibus nos decipi patiamur et plane evanescet discrepantia, si hunc locum cum Dionysii verbis contulerimus. Nam forma *ἐξέλεξαίην*, qua utitur Dio, non modo actionem a rege profectam, verum etiam illius iussu institutam indicat. Ad quam interpretationem ut confugiamus, loco Dionysii supra allato adducimur, ubi differre actiones regis et curialium dilucide exponit, quarum altera media forma (*ἐπιλεξαίμενος*), altera vero activa (*ἐπιλέξαι*) significatur. Videmus igitur, Dionis locum esse cum, qui Dionysii testimonio magis arrideat, quam qui ad refellendum illud possit suppetere. ⁵¹⁾ Quodsi Livius creandi munus regi vindicat ⁵²⁾, non miramur, cum eius rei causam perspiciamus. Neque enim in cap. 8. ius illud curiis adscribere potuit, quod ex ipsius sententia illae demum post Sabinorum adventum sunt ortae. ⁵³⁾ Praeterea quae in lib. I. c. 35. de Tarquinio Prisco leguntur, eius verbis aperte repugnant. Nam ibi illum ad regnum firmandum atque rempublicam augendam centum in patres legisse memoriae prodit hosque factionem haud dubiam regis appellat, cuius beneficio venerint in curiam. ⁵⁴⁾ Itaque dis-

47) *Οπαίων δὲ Τερεντίος τοῦ ἀντιοῦ το μῦθος οὐχ ὁμολογεῖ.* Quod addit *το πρὸς*, argumento esse potest, Varronem aliis consensisse ceteris in rebus, ad quas curialium potestas senatores creandi haud dubie pertinet.

48) Dionysio hoc nonnunquam accidit; cf. Ambrosii. I. I. p. 19; Rubino I. I. p. 341; Lange I. I. p. 284.

49) II, 13; *ἱρικκοῦσας ἀνδρας... ἐπιλεξαίμενος, οὐς ἀπειδείσαν αἰ φραγμα τὸν αὐτὸν τρόπον, οἴπερ τοὺς βουλευτάς.*

50) Frgm. Mai. Nov. Coll. II, p. 138.

51) Alii scriptores eandem rem memorantes etiam media utuntur forma; cf. Joann. Lyd. de magist. I, 16; *δῆλον ἀνταχθῆναι ἐκατόν τὸν αὐθιμὸν γέγοντας ἐκ πασῶν τῶν χορηγῶν (ἀντι τῶν φυλῶν) ἐπιλέξασθαι τὸν Ρωμύλον.*

52) I, 8; „centum creat senatores“, cf. Plut. Rom. c. 13, 20; Zon. VII, 3, 8.

53) I, 13.

54) Cf. Aur. Vict. de vir. ill. 6; Flor. I, 5; Val. Max. III, 4, 2; Cic. de rep. II, 20.

cessu quodam a consuetudine senatus legendi Tarquinius Priscum sicut ceteris mutationibus, quas institutis Romanis inferre conabatur, populi iura laesisse fit verisimile⁵⁵⁾ et si regis arbitrio solum lectio illa fuisset permessa, nullus certe offensae quidquam in ea invenisset. Cum Livio Dionysius⁵⁶⁾ consentit, ita ut hanc notitiam uterque, quamvis non eidem antiquo monumento, haud minus tamen probabili debere videatur. Accedit, quod cum Tarquinius Superbus propter omissam lectionem praebuerit reprehendendi potestatem⁵⁷⁾, nova sententiarum discrepantia oritur, nisi Tarquinius priorem sine populi auctoritate atque consensu munere illo esse functum arbitramur. Jam vero quod Cicero Romulum dicit egregia duo reipublicae firmamenta peperisse, auspicia et senatum⁵⁸⁾, inde non sequitur, ut de curiis a senatorum creatione remotis cogitaverit. Nimirum id ex verbis Ciceronianis non est colligendum, deinde autem quid obstet non video, quominus a scriptore instituta, quae in urbis primordia cadunt, ad ipsum illius conditorem referantur ea praesertim, qua Cicero utitur, ratione.⁵⁹⁾ Quemadmodum vero auspicia a Romulo parta patriciorum potestati adnumerantur, sic et senatus creatio, cum ab eodem profecta diceretur, illorum tamen propria esse poterat. Praeterea ad Festi locum quod attinet „praeteriti senatores quondam in opprobrio non erant, quod et reges sibi legebant sublegebantque quos in consilio publico habent“⁶⁰⁾, Dionysii testimonio minime repugnat, quippe qui regem, ut supra demonstravi, a senatorum creatione non prorsus excludat.⁶¹⁾

55) Cf. part. I. comment. p. 14, ubi dixi aperto niti errore quae scriptores de modo senatus augendi Tarquinio regnante tradunt et dudum iam ante illius aetatem senatum ex trecentis viris fuisse compositum. Ille enim, cum quos in patricios legerat, novis tribubus adscribere tentaret, de hac quidem spe deiectus alia tamen ratione quidquid voluit, perfecit. Quemadmodum gentes singularum tribuum ad quinque curias redegit et in reliquis quindecim novas gentes recepit (cf. Walter, l. l. I, p. 29), sic eum senatorum numerum ad centum et quinquaginta minuisse vel iam fortasse morte singulorum deminutum (cf. Plut. Num. 2; Dionys. II, 47) illis totidem ex novis gentibus addendo auxisse, qui patres minorum gentium appellarentur, statui potest. Cf. Fest. p. 334 (ed. Muell.) „sex Vestae sacerdotes constitutae sunt. ut populus pro sua quisque parte haberet ministram sacrorum, quia civitas Romana in sex erat distributa partes, in primos secundosque Titienses, Ramnes, Luceres.“ Liv. I, c. 36. „neque tum Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit: numero alterum tantum adiecit, ut mille et octingenti equites in tribus centuriis essent.“ Illa vero coniectura etiam Ciceronis loco (de rep. II, 20) lucis aliquid affertur „isque (Tarquinius) . . . principio duplicavit illum pristinum patrum numerum et antiquos patres maiorum gentium appellavit, quos priores sententiam rogabat, a se adscitos minorum.“ Jam vero haud scio an huc quoque Livii locus (N, 6) possit referri, ubi de allegendis e piebe auguribus tempore rogationis Ogulniae disputans in numero quattuor augurum, qui tunc fuerit, offendit, cum non inveniatur, quemadmodum ad eum nisi morte duorum collegium illorum sit redactum, atque inter eos de impari numero constet, ut antiquae tribus sum quaeque augurem habeat. Numerus igitur sex augurum, quem Livius desiderat, sic modo explicatur, ut ad tres, quos principio fuisse notum est (cf. Cic. de rep. II, 9; Dionys. II, 22), Tarquinio Prisco regnante alteri tres accesserint.

58) III, 67; *καὶ τὸν αὐτὸν ἐκ πέντων τῶν δευταίων...*

57) Liv. I, 49. „statuit nullos in patres legere, quo contemptior paucitate ipsa ordo esset minusque per se nihil agi indignarentur. Illic enim regum primus traditum a prioribus morem de omnibus senatum consulendi solvit.“

58) de rep. II, 10.

59) Cf. de rep. II, 8. „quamquam cum Tatio in regium consilium delegerat principes.“

60) p. 246 (ed. Muell.)

61) Cf. p. 7.

His expositis, videamus necesse est, num Dionysii sententia antiquo Romanorum statui omni ex parte conveniat. Iam in prima commentatione de ortu atque incremento curiarum memoravi ⁶²⁾, senatores singulas repraesentasse curias. Quod nisi putandum est, nihil habemus, quo decem tantum curiis exstantibus numerum centum senatorum, qui post Sabinorum adventum alteris decem curiis ortis, duplicatus esse dicitur, explicare possimus. Triginta curias iam Anci aetate exstitisse simulque tum senatum ad viros trecentos esse auctum pro certo ponere licet, ut eorum numerus curiis accurate responderet et deni singulis curiis possent patrocinari. ⁶³⁾ Quamobrem magis perspicuum evadit, curiis, qui a Tarquinio Prisco senatores creabantur, cum non tam curiarum quam regis partes suscepturi viderentur, nomen regiae factionis sit inditum. Propter patrocinium vero curiis praebitum eos antiquis imprimis monumentis patrum nomine designari et ex similitudine quadam tutelae patrum in liberos appellationem esse ductam apparet. Neque ad interpretationem longius repetitam est confugiendum, cum Ciceronis verba confirmet, causam illius appellationis contineri caritate ⁶⁴⁾, quae nisi fuisset in populum, senatus iure dominatio multiplicata dici potuisset. Praeterea vix quisquam reperietur, qui regem nulla adductum necessitate libera senatus lectione, cuius consilio rempublicam administraret ⁶⁵⁾, potestatem suam circumscripsisse existimet.

Quae cum ita sint, haudquaquam erit dubium, quin una saltem ex parte Dionysii in auctoritate acquiescamus et regi simul cum curialibus ius senatus creandi vindicemus ita tamen, ut de diversis inter se actionibus, quarum priore a curialibus patres fuerint designandi, altera a rege in curiam recipiendi cogitetur. ⁶⁶⁾ Neque huic sententiae obstat usus posterioris temporis, quo a consulibus, deinde a censoribus senatores eligebantur. ⁶⁷⁾ Institutis enim Servii Tullii iure magistratus creandi ad comitia centuriata translato, in quibus praeter patricios plebei, quorum nemo certe priore quidem tempore exceptis ordinis patricii fautoribus in senatum legebatur ⁶⁸⁾, suffragium ferebant, nihil iam impedivit, quominus potestas

62) Cf. p. 7 seq.

63) Cf. Walter, l. I. p. 13, ann. 16; comment. part. I, p. 7, ann. 2. Beckerus quamvis Dionysii sententiam impugnet, tamen in extrema expositionis parte regis in senatorum creatione arbitrium partim ex ratione gentium patriciarum habenda pependisse, ne quid illis invitis susceperet, concedendum fatetur. Cf. l. I. p. 341, „nur wird man auch von seiner Seite (sc. regis) sich die Wahl nicht ganz willkuerlich denken duerfen, da er jedenfalls auf eine wachsende Aristokratie Ruecksicht nehmen und es vermeiden musste, bei maechtigen Familien anzustossen“. Praeterea respicias ea, quae Mommsenius de senatu repraesentante profert (l. I. p. 56) „als die Geschlechtergeaue zusammengetragen und sich einen gemeinschaftlichen Koenig ernannten, scheint jedes Geschlecht durch seinen Aeltesten vertreten worden zu sein, der gewissermassen den Patriarchen des Geschlechts repraesentirte und darum „Ascendent“ genannt ward; diese Aeltesten, die „Ascendenten“ (patres) bildeten den urspruenglichen Senat“.

64) de rep. II, 8. „qui appellati sunt propter caritatem patres“, cf. Aur. Vict. de vir. ill. 2; Joann. Lyd. de magist. I, 16; Sal. Cat. 6.

65) Fest. p. 339.

66) Cf. Schwegler, l. I. p. 659.

67) Cf. ib. p. 660.

68) Certe qui regum aetate ex plebeiis in senatum recipiebantur, antea patriciorum ordini ascribendi erant, ut apparet e Dionysii lib. III, c. 37. Idem post reges exactos factum est. Dionys. V, 13; πρῶτον μὲν ἐκ τῶν δημοτικῶν τοὺς χαριότους ἐπιλέττετο; πατρικίους ἐποίησαν καὶ συνελλήρωσαν ἐξ αὐτῶν τὴν βουλὴν εἰς τριακόλους. Cf. Fest. p. 254.

illa patriciis magistratibus concederetur, quin etiam ut hoc fieret, civitatis salus postulare videbatur. Ad creationem autem senatorum confirmandam, cum imperio carerent, ne necesse quidem erat institui comitia curiata. ⁶⁹⁾

Cum reges universa potestate in reipublicae administratione sint usi, quae tempore postero inter maiores magistratus distribuebatur, ea, quae Dionysius de curiarum munere creandorum magistratuum disputat, haud dubie ad neminem nisi ad illos spectat. Investigandum modo est, num minores, qui dicebantur, magistratus rex, an curiales elegerint. Sed eiusmodi disquisitio, quoniam omnibus fere testimoniis sumus destituti, difficilior est, quam ut ad certum disserendi finem perveniamus, deinde vero tenere debemus, illo tempore vix fuisse alios quam quaestores magistratus minores et ne horum quidem quale fuerit munus, satis notum est. Nam si constaret munus quaestorium spectasse ad rempublicam administrandam, nihil esset, cur de quaestoribus curiarum suffragiis creatis dubitarem, sed fortasse regis tantum ministrorum vicibus fungebantur atque ad tempus erant constituti et quid populi tum potuit interesse, ut de eorum lectione decerneret? Restant nobis de quaestoribus regii temporis testimonia duo, sed ita comparata, ut invicem se tollant, alterum Junii Gracchani ⁷⁰⁾ illos curiarum suffragiis creatos esse tradentis, alterum Taciti ⁷¹⁾, qui cum quaestores a regibus fuissent instituti, eos eligendi potestatem illis exactis ad consules transiisse censet. Utra tamen sententia verior sit magisque arrideat, fateri non audemus, nisi forte Junii Gracchani, viri antiquitatum Romanarum peritissimi auctoritati plus quam Taciti verbis tribuimus. ⁷²⁾

Iam disquisitio nostra eo devenit, ut de curialium muneribus, quae administratione constituenda legibusque confirmandis continebantur, exponamus. Ante omnia autem est

69) Celerum creationis supra iam feci mentionem. Quod ad eorum tribunum attinet, qui secundum locum a rege obtinuisse dicitur, (cf. Pomp. de orig. iur. Dig. I, 2, 15) utrum a rege, an curiarum suffragiis delectus sit, nullo confirmatur indicio. Si ratio similis regi et tribuno celerum intercessit ac dictatori et magistro equitum, (cf. Becker, l. l. p. 338; Ambrosch, Ind. lect. aest. 1840, p. 5) illius creatio voluntati regiae permissa facile videbitur. (Cf. Dionys. IV, 71; Liv. I, 59.)

